



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Tribunal Poenitentiae Sev Libri Dvo Prior De Poenitente Ut Reo Posterior De Confessario Ut Judice

Stoz, Matthäus

Anno M.DC.LXXXIX.

Quaestio I. An & quando teneatur Superior dare petenti facultatem
absolvendi à reservatis?

urn:nbn:de:hbz:466:1-37144

conformiter Trid. *sess. 14. cap. 7.* statuente, ut reservatio fiat in ædificationem, non in destructionem; & ne occasione reservationis aliquis pereat.

333. Cùm ergo aliqui ex DD. subinde asserunt, Reservationem fieri ad bonum commune, & rectam Ecclesiæ gubernationem. Palao *tr. 2. Diss. 1. p. 17. n. 8.* ad majus bonum commune. Tan. *tom. 4. Diss. 6. q. 9. n. 79.* ad religiosæ disciplinæ conservationem. Lug. *cit. Diss. 15. n. 116.* vel ut Trid. *l. c.* ait, magnopere ad populi Christiani disciplinam pertinere &c. intelligi non potest, nec debet aliter, quàm quatenus bonum commune & disciplina consistit tantùm in bono & honestate singulorum, indeque resultat: vel certè non *positive*, sed tantùm *negative*, hoc est, eatenus, ut reservatio impediatur subditos à peccatis, per quæ bonum commune, vel disciplina, vel alii graviter læderentur. Ratio est manifesta; quia Christus Sacramentum Pœnitentiæ, & Sacramentalem Jurisdictionem unicè tantùm instituit in bonum pœnitentis; ergo cùm Ecclesia hunc finem Sacramenti imutare non possit, ideo sicut nemini Jurisdictionem Sacramentalem potest concedere, ita quoque nemini potest eandem restringere, seu propriè reservare, nisi in bonum pœnitentis. Et verò licèt subditi confiteantur reservata peccata superiori, iste tamen non potest ullo modo hæc Sacramentali notitiâ uti ad publicam gubernationem, ob prohibitionem Clem. VIII. in decreto de Cal. Reservat. de quo *suprà n. 245.*

Et seq. His suppositis, est

QUÆSTIO I.

An & quando teneatur superior dare petenti facultatem absolvendi à reservatis.

Tria sunt, quæ ad plenam hujus Quæstionis Resolutionem videntur necessariò esse afferenda; nimirum 1. Quando debeat negari? 2. Quando possit negari vel dari? & 3. Quando debeat dari?

§. I.

Quando debeat negari facultas absolvendi à reservatis?

334. Dico itaque I. Aliquando superior ita simpliciter & absolute tenetur petitam facultatem absolvendi à reservatis negare, ut non possit ullo modo concedere. Nempe in casu, quo subditus est aliquo jure, per superiorem indispensabili, graviter obligatus, ut, cùm per se & alio modo non possit, per sui manifestationem superiori factam, per quam solam potest, caveat communitati, ordini, monasterio, aut alicui tertio à gravi damno aut scandalo; vel sibi ipsi, aut complicità relapsu. Ratio, quia cùm subditus, ut ponitur, sit graviter & indispensabiliter obligatus ad cavendum suum vel aliorum damnum, idque non possit nisi per solam manifestationem sui apud superiorem, non potest ei dari facultas, se apud eundem non manifestandi. Imò, quia hoc ipso, quòd possit & indispensabiliter debeat, sed tamen nolit se manifestare, graviter contra suam obligationem peccat; ideo in hoc statu est incapax absolutio-

lutionis, ergo superior frustra daret facultatem absolvendi illum, faceretque se participem alieni peccati. Et hunc casum nemo potest negare; hic tamen ab aliis non repetio expressum; obscure tantum insinuare videtur Gobat *tr. 7. n. 702.* cum ait, Reum non teneri sub mortali manifestare se superiori, nisi quando lex naturalis illum ad id obligat, nimirum indispensabiliter, adeoque etiam seclusa omni reservatione.

335. Ad prædictam porrò obligationem contrahendam requiritur. I. ut subditus Jure aliquo, per superiorem indispensabili obligetur &c. Nam si superior possit subditi obligationem relaxare, hoc ipso jam non simpliciter & absolute tenetur negare ei facultatem alteri confitendi absque sui manifestatione apud superiorem. II. ut subditus per se vel alio modo, non possit cavere damnum &c. quia si subditus per se vel alio modo, quam sui manifestatione apud superiorem, possit & velit cavere damnum suum & aliorum, tunc superior adeo non tenetur negare petitam facultatem, ut potius debeat eam sine difficultate dare; ut dicitur *infra*. III. ut superiori moraliter certò constet de tanta subditi obligatione; quia onus certum, idque tam grave non est superiori aut subdito imponendum absque ulla firma ratione (sicut fieret in dubio negativo) multò minùs, si superior vel etiam subditus habet pro sua libertate probabilem rationem, sicut fieret in dubio positivo. Atque ita in aliis minùs urgentibus casibus moralem certitudinem hinc requirit expressè Tamb. *de casib. reserv. cap. 8. §. 2. n. 2.* Palao *l.*

c. n. 5. Coninch *l. c. n. 109.* & Card. Lug. *cit. Diss. 20. n. 236.* qui duo requirunt, *ut constet*; quod autem quocunque jam modo dubium est, non constat; ergo & hic. Quia verò prædictus casus cum omnibus suis requisitis est planè rarissimus, rectè quoque dicitur rarissimum esse, ut superior (absolute & simpliciter) teneatur, negare petenti facultatem absolvendi à reservatis. Nullo modo autem, quod à multis non satis observatur, confundi ille debet cum aliis sequentibus, de quibus

§. II.

Quando facultas absolvendi à reservatis possit negari, vel dari?

336. Dico II. Aliquando superior potest & tenetur petitam facultatem absolvendi à reservatis negare; sed ita, ut non obstante hac obligatione possit, & quandoque superveniente rationabili causa etiam debeat concedere; adeoque non simpliciter & absolute teneatur negare (sicut in casu conclusionis præcedentis) sed secundum quid, & ad melius esse, vel juxta legem tantum aliquam humanam. Hoc autem modo tenetur superior negare facultatem, quando probabiliter timeri potest ex ejus concessione vel ex reservato peccato subditi oriturum grave damnum vel scandalum communitatis, Ordinis, vel tertii, vel ipsius pœnitentis alioqui relapsuri; item quando pœnitens est recidivus, peccavit cum complice, vel ex occasione extrinseca. Ratio, quia superior ex officio suo tenetur eo modo, quo ipsi præscriptum est, & commode potest.

potest, impedire, ne subditi sibi ipsis vel aliis graviter noceant; sed aliquando non potest alio modo impedire, quàm negando petitam facultatem, ergo, &c. Bonus quoque Pastor, Medicus, & Pater tenetur, si potest, impedire non tantùm, quæ certò, sed etiam quæ saltem probabiliter sunt suis, vel per suos aliis futura gravi damno. Et hujus generis sunt casus illi, de quibus DD. in materia Reservationis communiter loquuntur.

337. Ut autem in iis aliquando superior teneatur negare facultatem, requiruntur sequentia. I. Ut recidivus non censeatur, qui peccatum reservatum sæpiùs commisit ante illam confessionem, in qua primò se de eo accusat; sed tantùm, qui post eam iterum in una vel pluribus aliis ejusdem criminis de novo perpetrati reum se facere, & fateri debuit, ut bene docet Gobat *tr. 7. n. 696. cum seq.* quamvis *ibid.* non audeat determinare, an post binas diversas absolutiones bis relapsus, adeoque tertiã vice ob idem Peccatum rursus commissum absolutione indigens sit, vel non sit habendus pro recidivo. Sed Dicast. *cit. Diss. II. n. 329.* si pœnitens, inquit, non admodum frequenter sit recidivus (hoc est relapsus) non video, quare superior velit esse difficilis in concedenda facultate; ergo multò minùs, quare teneatur negare. Attendendum hîc meo iudicio etiam est ad tempus, quod inter aliam, & alium relapsum intercedit. Si quis enim sæpiùs, sed post longiora intervalla reincidat in idem peccatum reservatum, videri potest tunc non ex voluntate in malo obfirmata, sed ex fragilitate potiùs naturæ, ve-

R. P. Stoz Trib. Pœnit. Lib. II.

hementiã tentationum &c. relabi; adeoque etiam dignus, ut potiùs commiseratione adjuvetur, quàm ut jam antè afflictus per rigorem negatæ facultatis amplius affligatur.

338. Requiritur ad prædictam obligationem contrahendam II. ut superior ipse post auditam pœnitentis confessionem, vel ejus manifestationem possit malo, quod timetur, sufficiens remedium afferre, salvo confessionis sigillo. III. ut ad occurrendum tali malo nullum aliud suppetat remedium, quàm ut pœnitens confiteatur, aut manifestetur superiori, adeoque etiam IV. ut superior non possit habere alium, quem suo loco substituatur, ut pœnitentis confessionem excipiat, & malis, quæ timentur, sufficiens provideat; atque ita superior meritò & prudenter Confessarium vel Sacerdotem, qui pro alio petit facultatem, judicet esse insufficientem, neque alium idoneum possit commodè assignare. Et hæc tria capita expressè requirunt DD. loquentes de tali periculo & damno pœnitentis, vel aliorum, cui superior, inquit Reginald, *l. 8. n. 44.* auditã confessione, non autem aliter, possit remedium afferre, salvo sigillo; cui superior, & non alius, ait Palao *l. c. n. 5.* remedium adhibere possit; quòd non ipse Subditus & Confessarius præcavere possint, ut loquitur Dicast. *l. c. n. 326.* quod non posset aliter impediri, nisi superior illud sibi reservaret (peccatum, negando facultatem) & hoc modo speraret omnino se posse illud (periculum) impedire sine ulla sigilli violatione, scribit Coninch *l. c. n. 109.* V. ut negatio petitæ facultatis non videatur cessura

Cc

fura

sura pœnitenti in aliquod aliud grave
damnum à relapsu distinctum, de quo
Concl. seq.

339. Requiritur denique VI, ut supe-
rior sit de his omnibus moraliter certus, ut
in terminis loquuntur Tamb. & Palao *in*
sine preced. concl. relati; imò Coninch,
& Card. Lugo etiam volunt superiorem
non teneri negare facultatem, sed debere
concedere, nisi *constet* peccatum reserva-
tum, vel concessionem facultatis esse pœ-
nitenti quoad relapsum, vel aliis quoad
alia graviter damnosam; adeoque id mo-
raliter certum sit, & non tantum *probabili-*
ter timeatur, probabilitate quacunq; sed
probabilitate certitudini morali æquiva-
lente: quarum illa prior sufficit quidem, ut
peccatum fiat reservatum, & fortè ali-
quando possit negari facultas absolvendi;
sed posterior necessaria est, ut superior te-
neatur negare facultatem, positus simul
etiam aliis omnibus comemoratis requi-
sitis. Ratio est clara, quia superior non
tenetur negare aliis facultatem absolve-
ndi à reservatis, nisi quando id est necessa-
rium medium ad vitanda damna, quæ ti-
mentur, ut indicatur etiam in nostris *Ord.*
Gen. cap. 6. n. 2. atqui negatio facultatis
nunquam est necessarium medium ad vi-
tanda damna, nisi positus omnibus prædi-
ctis requisitis, & circumstantiis: ergo &c.

340. Verùm hæc ipsa necessitas, si
quando existit, non est ex parte superio-
ris tam absoluta, & præcisa sicut *in præ-*
ced. concl. cum tantum fundetur in pro-
babilitate, vel ad summum in morali cer-
titudine; ideo potest non rarè alia tam
rationabilis & gravis causa intervenire,
quæ illum ab ea necessitate & obligatio-

ne excuset, vel etiam ad contrarium, hoc
est ad concedendam facultatem obliget.
Item quia prædicta necessitas, cum tan-
tum ex parte superioris se teneat, *sup. n. 336.*
non afficit, vel certè nondum sufficienter
stringit subditum; neque ille aliquo alio
Jure satis firmiter obligatur ad damna aut
pericula quædam vitanda cum tam gravi
aut difficili medio confessionis, aut sui
manifestationis apud superiorem facien-
dæ; ideo ad hanc obligationem in sub-
dito constituendam opus est lege & præ-
cepto aliquo superioris. Ut proinde
subditus in casibus reservatis hujus *Concl.*
non alio jure teneatur se sistere superiori,
quàm ex obedientia. Quod si ergo hic
aliquando subditus noluit se sistere, cum
deberet, peccat quidem in re gravi &
graviter contra obedientiam; propter
illud tamen peccatum non est incapax ab-
solutionis; sed deinde, quando tandem
superior descendit, atque facultatem
alteri confitendi concedit, debet se uti de
aliis, ita etiam de hoc Inobedientiæ pec-
cato accusare. Sicut etiam debitor, qui
quidem peccat contra Justitiam, si, quod
debet, & creditor serio exigit, firmiter no-
lit solvere, cum possit; postquam tamen
creditor debitum tandem remittit, po-
test & ab illo peccato Injustitiæ, & ab
aliis legitimè absolvi. *Reginald. l. 3. n. 49.*
Imò si subditus nunquam hic firmam con-
cipiat voluntatem non obediendi, sed
tantum petendo facultatem instet, ut su-
perior, sicut potest, tandem remittat obli-
gationem, se sistendi; fieri etiam potest,
ut subditus hac in re vel omninò nihil,
vel certè non graviter peccet. *Lug. l. 6.*
n. 240.

341. In dubio porrò de superioris vel subditi obligatione ob defectum unius vel alterius requisiti, ait expressè & universaliter Lug. l. c. n. 236. semper esse in benigniore partem inclinandum, & petitam facultatem concedendam. Neque rectè excipit Gobat tr. 7. n. 732. dubium de gravi damno publico seu communitatis; quia etsi superior teneatur prospicere potiùs bono communitatis, quàm bono personæ particularis. Dicast. l. c. n. 326. & major ratio illius haberi debeat quàm hujus. Laym. l. 5. tr. 6. cap. 12. n. 7. hæc tamen illi //, cc. loquuntur non de casu dubio. Et si loquerentur etiam de casu dubio, verum id esset tantùm in foro fori & externo, non item in foro poli & Sacramentali. Istud enim est à Christo unte in bonum & commodum pœnitentis institutum, ergo debet in eo, cum dubium occurrit, in pœnitentis potiùs, quàm in ullius alterius, etiam communitatis, favorem pronuntiari; uti constat fieri in materia Restitutionis, in contractibus, & aliis similibus causis, etiamsi bonum communitatis attingant.

§. III.

Quando debeat dari facultas absolvendi à reservatis.

342. Omnibus denique consideratis, quia ea omnia, quæ ad obligationem superioris de negatione facultatis requisita esse dixi, rarè præsumenda sunt, ut ait Palao l. c. n. 5. Coninch n. 109. & rarissimè constare superiori possit, an & quando omnia adsint, cum casus reservatus non possit ei in specie cum omnibus cir-

cumstantiis proponi ob periculum frangendi sigilli; idèd rarissimè & quasi tantùm per accidens, etiam in casibus secundæ Concl. fiet, ut superior prædicto modo teneatur negare facultatem. Quamobrem DD. formant Regulam in contrarium, & concludunt, Regulariter superiorem obligatum esse, petenti per se vel per Confessarium facultatem concedere. Palao cit. n. 5. moraliter & per se loquendo debere esse facilem in concedendo. Reginald. l. c. n. 49. Bonac. l. c. n. 19. communiter concedendam esse facultatem. Lug. l. c. n. 236. De quo unum cum illis

343. Dico III. Regulariter, communiter & per se loquendo tenetur superior semper facultatem absolvendi à reservatis concedere, quando subditus eam per se, vel, ut rectè Coninch cit. Diss. 8. n. 111. & Dicast. cit. Diss. 11. n. 331. ordinariè fit, per Confessarium petit. In specie autem

I. Quoties nullam habet justam causam negandi. Reginald. l. c. n. 49. Coninch l. c. n. 111. & alii cum Suarez tom. 4. Diss. 30. sect. 4. n. 9. ubi: ad concedendum, inquit, sufficit, quòd nulla specialis ratio negandi occurrit: ad negandam autem oportet adesse specialem rationem negandi. Hoc ipso enim, quòd subditus petit facultatem, ostendit, sibi valdè grave esse, superiori confiteri, eique manifestari; ergo superior tenetur eum gravi hoc onere liberare, si commodè potest: sicuti potest, cum nullam habet rationem in contrarium. Sic etiam in nostris Ord. Gen. cap. 6. n. 1. dicitur, posse superiorem graviter offendere, si impruden-

ter, & sine justa graviq[ue] causa facultatem petitam neget. Addo, quòd plus periculi soleat esse in negatione, quàm in concessione facultatis. Dicast. *l. c. n. 328.* & communiter gravius malum oritur ex negatione, quàm ex concessione. Coninch *l. c. n. III.* ergo superior tenetur, si potest, periculum ejusmodi & malum præcavere.

Justa autem causa negandi non est, si tantùm speretur ex negatione facultatis aliorum utilitas, sed cum detrimento & gravi incommodo pœnitentis; quia Sacramentum pœnitentiæ, & Reservatio in futura sunt in bonum pœnitentis, ergo non licet uti tali negatione (facultatis) tanquam medio ad procurandam aliorum utilitatem interveniente detrimento subditi, inquit Reginald. *n. 46.* & optimè advertit *n. 47.* aliud esse, aliorum utilitatem procurare, & aliud, vitare aliorum nocuum; atque ob istud, nonitem ob illud posse negari facultatem.

344. Quod si ergo superior probabiliter timeret, ex sua facilitate concedendi facultatem alios sumptuos scandalum, & faciliùs, graviùsque peccaturos, simulque alia omnia requisita, de quibus supra, concurrerent; tunc non tantùm posset, sed etiam teneretur negare facultatem. Dicast. *l. c. n. 326.* Palao *n. 5.* Sed talia, inquit Coninch *cit. n. 109.* non sunt facilè præsumenda; cum concessiones fiant omninò secretæ, & rarò soleant ex iis talia contingere. Putat quidem Coninch *l. c. n. III.* hoc posse tunc præsumi, cum valdè frequenter ejusmodi licentia exigitur, & interim religiosa disciplina laxatur, eiq[ue] consentit Laym. *l. 5.*

tr. 6. cap. 12. n. 7. & Dicast. *l. c. n. 333.* At verò rectiùs Palao *cit. n. 5.* fateretur, præsumptionem hanc esse levem, cum aliunde quàm ex concessione licentiæ possit disciplina relaxari, & ad eam adstringendam habeantur alia media, quæ priùs sunt tentanda. Ex quibus patet, justam & gravem causam negandi facultatem non esse, nisi quando superior tenetur negare juxta dicta primæ & secundæ Conclusionis, adeoque etiam non facilè dari posse casum medium, in quo, ut vult Lugo *l. c. n. 241.* possit superior pro suo arbitrio negare & concedere facultatem, atque adeo ad neutrum teneatur.

345. II. Quoties pœnitens rationabiliter timeret, si superiori confiteatur, aut manifestetur, inde sibi grave damnum oriturum, confessioni ipsi extrinsecum, v. g. grave odium, fractionem sigilli, abusum notitiæ Sacramentalis ad publicam gubernationem, vel ad alia in sum aliquod incommodum &c. vel sibi alium, à superiore designatum speciatim Confessarium non futurum auxilio ob inimicitiam, aversionem, improbitatem, imperitiam &c. Reginald. *l. c. n. 43.* Coninch. *l. c. n. 108.* Lugo. *l. c. n. 235.* qui duo ajunt, in hoc convenire omnes, quia superior nullum habet jus in tali casu obligandi subditum ad se sistendum, aut manifestandum.

346. III. Quoties ex negatione petitiæ facultatis prudenter timeri potest aliud grave aliquod damnum spirituale subditi, quod quidem non aliunde, sed tantùm ex aliqua ejus passione vel alia fragilitate oritur. Dicast. *l. c. n. 325.* Reginald. *l. c. n. 45.* vel ex inordinata verecundia, vel alia

alia apprehensione. Coninch. *l. c. n. 109.* & alii communiter cum S. Thoma apud ipsos; ut: si possit prudenter timeri, subditum non integrè confessurum superiori; vel absque confessione communicaturum aut celebraturum; vel confessionem, communionem, aut celebrationem diu omitturum: imò etsi vel solum timeri possit, subditum cum multo minore fructu confessurum superiori, quam alteri. Dicast. *l. c. Coninch l. c. n. 110.* quibus consentit. Reginald. *l. c. n. 45.* cum hac tamen limitatione: nisi ad aliorum exemplum & bonum commune sit necessarium negare. Quæ tamen limitatio est illi ipsi, & ejus doctrinæ *n. 46.* tradita ac *sup. n. 312.* relata contraria. Ratio horum patet ex ipsa natura & sine Reservationis. *sup. n. 301.* explicatis. Sicut enim confessio, ita & reservatio inducta est in utilitatem pœnitentis; ergo non debet ita observari, ut cedat in ejus detrimentum & destructionem. Coninch. *cit. n. 110.* & cum concessa sit in bonum subditorum, non debet in eorum dispendium detorqueri. Palao *l. c. n. 4.* Neque refert, ut Reginald. *cit. n. 45.* loquitur, quòd subditus ipse sit sibi causa alicujus talis mali ex iis, quæ hic enumeravimus; quia etiam hoc spiritualis Pastor impedire tenetur, si commode potest.

Rectè tamen limitat hæc Coninch *l. c. n. 109.* nisi constet (seu moraliter certum sit,) peccatum reservatum subditi vergere in scandalum aut detrimentum aliorum, quod superior speret se posse acceptâ confessione vel manifestatione subditi impedire, & nullo alio modo. Quod ipsum videtur voluisse Dicast. *l. c. n. 326.*

cum eadem limitando, non dixit: nisi superior probabiliter timeat, sed nisi prudenter timeat, &c. Certè si superior probabiliter tantum timeat damnum aliorum; sed ad id vitandum non sit necessaria negatio petitæ facultatis, non potest superior licitè eam negare, sed tenetur dare, ut *sup. n. 335. 339. & 341.* probatum est, & confirmatur *ex seq.*

347. IV. Si subditus nihil aliud habeat, quod timeat, sed præcisè tantum horreat, subire ruborem & confusionem apud superiorem, ipsi confessioni intrinsicam; valdè magnam tamen habeat difficultatem in hoc errore superando, ac propterea per confessarium petat facultatem, tenetur superior eam dare; nisi constet de alio pœnitentis vel aliorum graviore damno, & ad id vitandum sit necessarium negare facultatem. Lug. *cit. n. 236.* quia subire confusionem, à qua quis magnopere abhorret; item eadem peccata bis confiteri, vel duobus manifestare, sunt gravia onera; ergo superior, si commodè potest, tenetur ab iis subditum, ita rogantem, liberare.

348. V. Si superior ex facta sibi relatione de casu reservato ejusque circumstantiis, quantum salvo sigilli fieri potest, judicet, se habere sufficientem causam, negandi facultatem; sed tamen simul ex Confessario, vel aliunde cognoscat, reum obfirmato animo nolle ipsi confiteri aut manifestari, nec posse ad id ulla ratione adduci; tunc etiam huic negare non potest, sed tenetur concedere petitam facultatem. Reginald. *l. c. n. 49.* quia Reservatio habet rationem medicinæ, ut *sup. n. 103.* dictum; atqui absurdum est, inquit

quit Reginald. Medicinam, ad sanationem institutam, tunc alicui applicare, cum non prodesse, sed obesse cognoscitur.

349. In nostris *Ord. Gen. cap. 6. n. 4.* statuitur, quod prius tendenda sint aliqua media, de quibus superior & confessorius inter se conferant; ac tandem, si nullum aliud reperiatur, superior facultatem negare non debeat. Quæ tamen intelligenda sunt tantum de casibus *Concl. secunda*; quia in his, cum subditus teneatur tantum ex præcepto Superioris & vi obedientiæ illi confiteri, aut manifestari, potest tandem superior hanc obligationem remittere, faceréque, ut subditus, si unacum aliis peccatis etiam de hac contumacia se apud alium accuset, capax sit absolutionis, ab eoque valide & licite absolvatur, vide *supra n. 340.* In casibus autem *Concl. prima* hæc locum habere non possunt, quia superior obligationem subditi, utpote à se indispensablem non potest remittere; & quamdiu subditus potest, sed contumaciter non vult satisfacere, tamdiu est in statu peccati mortalis, & incapax absolutionis, ut *ibidem* dixi.

350. VI. Si superior audito casu reservato judicet, ad vitandum poenitentis vel aliorum damnum esse necessarium, ut negetur petita facultas, seque teneri negare; econtra autem Confessorius judicet, id non esse necessarium, nec superiorem teneri negare, sed posse & debere concedere; tunc omnino expedit, ut superior hac in re stet *Judicio Confessorii*, inquit *Coninch l. c. n. III.* ubi etiam dat optimam hanc rationem, quia

cum Confessorius semper personam, uti & casum ipsum cum omnibus suis circumstantiis perspectum particulatim habeat, facilius & melius scire potest, quid expediat, quam ipse superior, qui hæc ignorat; cum ei propter periculum frangendi sigilli casus vel omnino, vel ex maxima parte, non possit indicari. Idem sentit *Laym. Dicast. & alii communiter.* Si autem expedit, ut superior stet hinc *Judicio Confessorii*, tunc ille isto ita judicante jam potest dare facultatem; ergo etiam tenetur; cum hoc ipso non habeat justam eamque gravem causam negandi: nisi constet, Confessorium ex errore vel pravitate aliqua male judicare. Confirmatur ex *Fagund. pauld post citan. & Pellizar. rom. 8. cap. 2. n. 59.* ubi *negare injuste, & negare pio a docto Confessorio licentiam,* habent pro eodem.

351. Atque hoc ipsum quoad Regulares statuit *Clemens VIII.* in suo de Reservatione Casuum Decreto *Sup. n. 74.* præcipiens, *ut in quavis domo Regulari Superiores deputent duos vel plures Confessarios, qui à non reservatis absolvant; & quibus etiam reservatorum absolutio committatur, quando casus occurrerit, in quo eam debere committi ipse in primis Confessorius judicaverit.* Putat quidem *Palao l. c. n. 7.* vi hujus Decreti Superiores non teneri, duos constituere Confessarios, nisi in domo, in qua unus non sufficit omnibus; nec teneri stare *Judicio solius Confessorii*, sed tantum debere ad illud præcipue attendere. Sed non bene; quia in utroque hoc puncto *Clemens VIII.* postea dispensavit (quamvis tantum vivæ vocis oraculo) cum Socie-

tate

P. Sto

Tribuna
Poenite tue
EPI
SUA

rate JESU: quod utique fuisset frustra-
neum, si Pontifex nihil aliud in suo De-
creto, quam quod Palao vult, statuisset.
Addo, quod ipsa quoque Pontificis Di-
spensatio, ut habetur in nostris *Ord. Gen.
cap. 5. n. 3.* plus non concesserit, quam ut
Judicium à reservatis absolvendi Confes-
sariis non absolutè relinquatur; sed liceat
superiori facultatem denegare in iis casu-
bus, in quibus constat juxta ea, quæ Do-
ctores dicunt, esse denegandam; ergo in
omnibus aliis, in quibus juxta DD. non est
deneganda facultas, debet adhuc super-
ior stare Judicio Confessarii deputati, seu
ordinarii.

352. Quoad seculares autem debet su-
perior stare judicio Confessarii, si iste sit
vir pius & doctus, *Fagund. Prac. 3. lib. 3.
cap. 9. n. 17. v. secunda.* ubi ex *Sylv. v. Con-
fessor. 1. n. 13.* ait, pro pio & docto Confes-
sario habendum esse omnem illum, qui
approbatus & expositus est ad audiendas
confessiones; intellige tamen, quoad locum,
& personas, pro quo, & quibus est
approbatus & expositus.

VII. Quando unum aut plura desunt
ex requisitis *suprà positis à n. 337.*

VIII. Quando est dubium, an omnia
adsint requisita *n. 341.* Atque hæc de
prima parte Quæstionis. Nunc ad alteram.

QUÆSTIO II

*Quomodo superior obligatus
sit concedere facultatem, quando
eam dare tenetur.*

353. **D**UO hinc dicenda sunt. I. itaq; supe-
rior ita obligatus est ad concedē-

dani petitam facultatem absolvendi à re-
servatis, ut, si neget, quando dare tenetur,
peccet mortaliter. *Tamb cit. cap. 8. §. 2.
n. 2. & Fag. Præcept. 3. lib. 3. cap. 9. n. 17. v.
similiter.* ait, superiorem peccare morta-
liter, si se non præbeat facilem in conce-
denda petita licentia, idque expressè
docere Henriquez, Sylvestrum, Panor-
mit. & Rodriq. juxta communem alio-
rum, qui passim dicunt, superiorem hæc
in re posse graviter offendere, graviter
peccare.

Peccat autem graviter & mortaliter 1.
contra Charitatem. *Suar. Reginald. Co-
ninch, Lugo alii.* quia proximum gravi
onere & incommodo afficit sine suffi-
cienti causa. 2. contra Justitiam, quia
subdito auxilium, quod potest, & ratio-
ne sui officii debet præstare, non præstat,
ut probat *Lugo l. c. n. 237.* cum aliis con-
tra *Suarez.* 3. contra Religionem, quia
facit Sacramentum Pœnitentiæ difficile,
& odiosum, exponitque periculo tractan-
di illud irreverenter & sacrilegè. *Regi-
nald. l. c. n. 46. §. 51.* Unde *S. Thom. in
4. Dist. 17. q. 3. art. 3. Quæstiunc. 4. ad 6.* ta-
les superiores multis, inquit, laqueum
damnationis injiciunt, & per consequens
sibi ipsis; & *Suar.* apud *Fagund. l. c.* dicit,
id esse crudele, tyrannicum & periculo-
sum; testaturque *Fagund. ibid. v. secunda.*
tales superiores ab aliis vocari crudeles &
tyrannos.

354. II. Et si superior regulariter te-
neatur petitam facultatem concedere, &
quidem sub peccato mortali, ut dictum;
tamen non semper tenetur concedere illi
Confessario aut Sacerdoti, per quem ea
pro alio petitur. *Reginald. n. 50. Co-
ninch*